



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ALAMINENSIS*** DISTRACTIS NONNULLIS TERRITORIIS AB ECCLESIA

LINGAYEN-DAGUPANEN., NOVA DIOECESIS ALAMINESIS CONDITUR De superna animarum utilitate sollicitus censuit Venerabilis Frater Fridericus G. Limón, Archiepiscopus Lingayensis-Dagupanensis, bene fieri si quibusdam ab ipsius Ecclesia detractis territoriis alia ibi constitueretur dioecesis. Cumque id ab Apostolica Sede petisset, post nempe auditos Conferentiae in Insulis Philippinis Episcopos, Nos, ex sententia sive Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui Congregationi pro Episcopis praesunt, sive Venerabilis Fratris Brunonis Torpigliani, Archiepiscopi titulo Mallianensis atque in Insulis Philippinis Apostolici Nuntii, sequentia decernimus. Ab archidioecesi Lingayensi-Dagupanensi separamus territorium paroeciarum quae sunt : Sanctae Catharinae Alexandrinae (Agnó) ; Sancti Ioseph Patriarchae (Aguilar) ; Sancti Ioseph Patriarchae (Alaminos) ; Sancti Marci Evangelistae (Alos, Alaminos) ; Sancti Nicolai Tolentinatis (Anda) ; Immaculatae Concept. Mariae Virginis (Bani) ; Sancti Iacobi Maioris (Bolinao) ; Nostrae Dominae de Pillar (Zaragosa, Bolinao) ; Sancti Andreae (Bugallon) ; Nostrae Dominae Lapurdensis (Salasa Bagallon) ; Sancti Isidori operarii (Burgos) ; Sancti Vincentii Ferrer (Dasol) ; Sancti Raphael Archangeli (Eguia, Dasol) ; Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae (Infanta) ; Sancti Isidori operarii (Labrador) ; Divini Infantis Iesu (Mabini) ; Sancti Raimundi de Penafort (Mungatarem) ; Sancti Petri Martyris (Sual), et territorium quasi-paroeciae, cui nomen Sancti Iacobi Maioris (Santiago Bolinao), iisque dioecesim condimus Alaminensem appellandam iisdemque finibus circumscribendam quibus paroeciae ac quasi paroecia de quibus diximus terminantur. Huius dioecesis noviter erectae episcopalis cathedra erit in templo Deo in honorem Sancti Iosephi Sponsi B. V. M. dicato, in urbe cui nomen Alaminos, quod proinde templum ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus, cuique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus cathedrales ecclesiae omnes fruuntur in orbe catholico. Nova dioecesis suffraganea erit metropolitanae Ecclesiae Lingayensi-Dagupanensi eiusque pro tempore Episcopus metropolitano iuri eiusdem Archiepiscopi, atque obnoxia erit iurisdictioni Congregationis pro Episcopis. Consultorum collegium ad normam iuris quam primum instituat. Congruae ac dignae Praesulis sustentationi provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et portione obveniente ex divisione bonorum quae hucusque pertinuerunt ad mensam archiepiscopalem Lingayensem-Dagupanensem, ad normam canonis 122 C. I. C. Pro institutione iuvenum in

Ecclesiae spem succrescentium, iuris communis praescripta serventur, prae oculis habitis omnibus quae a Congregatione pro Institutione Catholica statuuntur ; selecti tamen Seminarii alumni philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendi nec non sacerdotes ad studia complenda, Romam mittantur, ad Pontificium Collegium Philippinum. Quod autem attinet ad novae dioecesis regimen et administrationem, atque administratoris dioecesani electionem, sede vacante, fidelium iura et onera aliaque id genus, ad amussim serventur quae canones praescribunt. Atque simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent, ceteri vero sacerdotes, clerici seminarii adulescentes incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae forte respiciant dioecesim noviter erectam eiusque fideles et bona temporalia, a Curia Lingayensi ad Curiam Alaminensem de more transmittantur, in condendo tabulario servanda. Haec, quae praescripsimus, ad effectum adducat Venerabilis Frater Bruno Torpigliani, Archiepiscopus titulo Mallianensis, vel ab eo delegatus sacerdos, atque perfecti negotii documenta sinceris exemplis ad Congregationem pro Episcopis mittat, rite signata sigilloque impressa. Has vero Litteras Apostolicas sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo secundo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI	BERNARDINUS Card. GANTIN
<i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	<i>S. Congr. pro Episcopis Praef.</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
 Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost. s. n.*

*A.A.S., vol. LXXVII (1985), n. 10, pp. 929-930

© Copyright 1985- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana